

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A.. Level Medieval Latin Examination

5 September 2007

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. A paraphrase of Genesis: Joseph interprets three dreams

In carcere cum Ioseph erant pincerna regis et pistor. Pincerna quadam nocte sompniavit quod premebat in calice domini sui regis tres uuas. Ioseph exposuit quod rediret in pristinum officium, et rogauit eum quod recordaretur sui. Et ita factum est. Pistor autem eadem nocte sompniavit quod frumentum crescebat super caput eius, et corui comedebant spicas, et Ioseph exposuit quod in mane suspenderetur et corui comederent cadauer eius. Et ita factum est. Et postea rex sompniavit quod uidebat septem uaccas macras et totidem pingues, quod nemo sciuit exponere nisi Ioseph, qui uocatus a carcere auxilio pincerne dixit quod septem futuri erant anni fertiles et totidem steriles, et tunc rex prefecit illum regno suo. Et ipse collegit annonam multam, et hoc est quod dicit in Theodolo: "Eductus uinclis discussit sompnia regis, et subduntur ei tocuis regna Canopi." Postea fratres uenerunt ut emerent segetes ab eo, et cognouit eos, et fecit eos adducere patrem suum ad eum.

2. An advent sermon of Aelred of Rievaulx

Tempus est, fratres charissimi, ut misericordiam et iudicium cantemus Domino. Adventus quippe Domini est, illius qui venit et qui venturus est omnipotens. Sed quomodo venturus est, vel venit? Nempe vox ejus est: *Coelum et terram ego impleo*. Quomodo ergo ad coelum venit, vel ad terram, qui coelum et terram implet? Audi Evangelium: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est; et mundus eum non cognovit*. Ergo et praesens erat, et absens. Praesens, quia in mundo erat: absens, quia mundus eum non cognovit. *Non est longe ab unoquoque nostrum*, ait Paulus; *in ipso enim vivimus, movemur et sumus*: et tamen *longe a peccatoribus salus*. Prope itaque per essentiam, longe per gratiam. Quomodo non longe, qui non agnoscebatur, nec credebatur; nec timebatur nec amabatur? Longe a peccatoribus, quos nec revocabat errantes, nec erigebat jacentes, nec redimebat captivos, nec mortuos suscitabat.

3. The Latin Text of the Ancrene Wisse: On the exterior and interior rule of life

Alia est regula exterior, regulans corpus et opera corporalia, docens quomodo homo debeat in exterioribus conuersari, quomodo comedere, bibere, vestiri, cantare, dormire, vigilare; et hec est exercitatio corporis que iuxta apostolum, i ad Thimotheum iiii, ad modicum valet, et est quasi regula recti mechanici quod sub recto geometrico continetur; et hec regula non est nisi vt subseruiat interiori. Interior quasi domina, exterior quasi ancilla. Quicquid enim fit per regulam exteriorem non fit nisi propter regulationem cordis interioris; que interior regulatio summa diligencia et nisu est seruanda, et exterior propter eam seruari debet.

Interior est semper vniformis. Exterior variatur, quia quilibet eam seruare debet quatenus per eam interiorem poterit obseruare. Interiorem possunt omnes seruare quantum ad puritatem cordis, circa quam uersatur tota religio; et sic omnes vniam regulam seruare possunt, videlicet, quantum ad puram et mundam conscienciam sine labe peccati quod non fuerit per confessionem correctum, quia nichil obliquat cor nisi peccatum.

4. Bede on the six ages of the world

Sex aetatibus mundi tempora distinguuntur. Prima aetas ab Adam usque ad Noe continens generationes X, annos vero MDCLVI. Quae tota periit diluvio, sicut infantiam mergere solet oblivio. Secunda a Noe usque ad Abraham generationes similiter complexa X, annos autem CCXCII. Quae in lingua inventa est, id est, Hebraea. A pueritia namque homo incipit nosse loqui post infantiam (quae et nomen inde accepit, quod "fari," id est loqui, non potest). Tertia ab Abraham usque ad David generationes XIV, annos vero DCCCCXLII continens. Et quia ab adolescentia incipit homo posse generare, Matthaeus generationum ab Abraham sumpsit exordium, qui etiam pater gentium constitutus est. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis generationibus aequae juxta Matthaeum XIV, annis autem CCCCLXXIII porrecta, a qua Regum tempora coeperunt. Juvenilis enim dignitas regno est habilis. Quinta deinde usque ad adventum Salvatoris in carne, generationibus et ipsa XIV, porro annis DLXXXIX, extenta, in qua, ut gravi senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebraea quassatur. Sexta, quae nunc agitur, nulla generationum vel temporum serie certa, sed ut aetas decrepita, ipsa totius saeculi morte finienda.